



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

XIX. Eadem historia fusiùs exposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

lebrati. Venientes lætus excepit Josephus, ac præcipue patrem. Cujus in occursum juncto curru, progressus, in regionem *Gessenam* (nam ibi substiterant advenæ) mutuo stringens amplexu, dulces inter lacrimas, auctor illi, fratribusque fuit, ut, quoniam pastoritiæ studerent, in ea potissimum Ægypti parte sedes sibi deligerent; quod locus esset herbidus, frugum ferax, & præ cæteris pascuus; eò consilio id potissimum spectans, ne in regni viscera recepti, Ægyptiorum profanis sacris, ac Deorum multitudine, quondam inficerentur; quam deinde regionem Israëlitæ, approbante rege, legitima possessione retinuerunt. A principio tam bono, quid nisi fausta exspectares, eò quidem incrementò, ut ringeretur invidia, & perire se crederet, nisi perderet felices innocentiaë successus, verum dum nocere cogitat, tum vel maximè, etiam invita prodest.

NAR. XIX.
 EADEM HISTORIA
 FUSIUS EXPOSITA.

Anno Mundi 2319. Ante Christum 1734.

Magnum est, in rebus adversis non deijci, majus in prosperis non extolli, sed longè maximum in perpetua utriusque fortunaë vicissitudine justam animi servare æquabilitatem. Exemplum aspice in Josepho Jacobi filio, qui miranda Dei vel indulgentiâ, vel mercede virtutis, diversissimis jactatus casibus, immotus tamen stetit in virtute.

tute. Is patri longè charissimus, cùm per invidiam
divenditus esset à fratribus, & apud Putipharem
Dominum graciosus, placuisset & Dominæ; pud-
icitæ tamen posthabens omnia, per heræ calumniam
conjectus in carcerem, trienniò castitatem amavit
in vinculis. Mec ultra DEUS præmium distulit.
Josephus per interpretationem arcanorum, Phara-
oni notus, ad regni administrationem evectus est,
triginta natus annos, in qua per octoginta perseve-
ravit, inaudita aulici felicitate; verè castitatis Mar-
tyr & Corona. Historiam multò amænissimam,
& eventuum varietate mirabilissimam, per membra
sectam dabimus.

CAUSA INVIDIÆ FRA- TERNÆ, ET VENDITIO JO-

SEPHI, Genes. 37. Anno Mundi 2306.

Ante Christum, 1747.

Iosephus ocellus patris sui Jacobi, & senectutis,
nam grandævus eum genuit, delictum, sedecim
annorum adolescens, in gravem apud fratres,
quos numerabat decem (undecimus *Benjaminus* ad-
modum puer erat) invidiam & odium incidit, non
nisi innocentis interitu extinguendum. Flammæ li-
vori subjecit causa non una; exulcerabat enim fra-
ternos animos inculpatio criminis, nescio cujus; *pe-*
simi tamen, ut divinæ loquuntur paginæ, cujus ipsi
ad parentem à Josepho erant delati; tum imagines
quædam adolescenti per somnium objectæ, quas ipse
se, de sua metiens alios innocentia puerili candore
aperuerat, dum per quietem vidisse se narrat, & se.

& fratres colligare manipulos; suum ex illis manipulum stetit erectum, visumque adorari à fratribus manipulis circumstantibus; aliàs quoque, solis & lunæ speciem, undecimque siderum oblatam, sese devenerantium. Quas illi narrationes intolerabilem arrogantiam Interpretantes, indignabantur, puerum inter viros affectare dominatum. Ussit quoque invidorum oculos vestis polymita, togula scilicet multicolore filo eleganter contexta, quam Josepho fieri parens curavit, deditque ferendam, in amoris præcipui insigne. Amandaverat is fortè adolescentem ad fratres pascendis gregibus occupatos, exploratum, quid agerent, quibusque in pascuis curam gererent gregum. Josephus Imperij paterni tenacissimus, oberrabat sollicitè, dum inveniret non jam fratres, sed penè carnifices. Vix enim procul venientem intuiti, continuò de cæde illius deliberant, somniatorem per convitium appellant; atque, ut patri os oblinerent, à feris discerptum dicere statuunt. Intercessit cruento consilio fratrum unus, *Ruben* nomine, suasitque, sicca morte afficerent puerum, inque cisternam abjectum enecarent fame potius, quam tenero manus imbuerent sanguine. Placuitque genus necis. Versicolore igitur prætexta adolescens exiit, quidquid ille precibus, lacrimis, questibus, obsecrationibus instaret, modò singulos, modò universos, per DEI clementiam, perque parentis senectutem deprecando. Nihil potuit frigidus sudore pavor, blandus rogantis decor, fraterni pietas sanguinis. Ab obstinatis per funes in profundam demittitur foveam, lenta fame conficiendus. Non diu latuit in illo cavo, sepultus

antè quam mortuus; cùm auctore *Iuda* retrahitur in lucem, & *Madianitis* negotiatoribus, fortè præterventibus, viginti venundatur argenteis; à quibus in *Ægyptum* abducitur, *Putiphari*, viro Principi, militiæque sub Rege Pharaone duci, denuo pro pretio addicendus. Interea per plagiarios fratres illudatur parenti seni, persuadetur ei, *Josephum* filium, in prædam cruentæ belluæ cessisse: fidei faciendæ, pueri tunica, hædino sanguine tincta exhibetur; nec difficile fuit viro candido fucum facere; mox igitur miserabilis senex ire in lacrimas & lamenta nullo solatio, nisi morte lenienda. Adeò scelus ex scelere nascitur. Qui fratrem invidendò dederunt exitio; parentem mentiendò vivum funus fecere.

I I.

JOSEPHI PUGNA PRO
CASTITATE, ET CONJECTIO IN CAR-
CEREM. Gen. 39. Anno Mundi 2316,
ante Ch. 1737.

DEUS *Josephum*, domi ut servavit, ita nec peregrè destituit. Hinc in rebus omnibus secundus successus; hinc gratia & benevolentia heri *Putipharis*, famuli sui prudentiam fidemque mirè suspicientis; & adeò domûs ei totius curam committentis, eò quidem emolumentò, ut omnes heri facultates maximis augmentis locupletarentur. Sed ô nihil tutum in rebus humanis, nihil ab omni parte beatum! erat *Josephus* eleganti forma, ideòque gratior, pulchro veniens in corpore virtus.

virtus. Hæc Dominæ irritamento fuit amoris impudici. Jam illa liberiùs, quam castam decebat, oculos in adolescentem conijcere, & veluti raptis in fomite igniculis, occultum sub venis ignem alere; mox observare tempus, quo sine arbitris posset ephæbus ad flagitium invitari. Animosè non semel repugnanti, fidemque hero, Deoque debitam opponenti, iterum iterumque admovere preces, blanditias, munera, terrores; instare quotidie importunior, tandem etiam manum injicere recusanti, & ad facinus tantum non compellere. At ille victoriam in fuga positam esse ratus, pallio, quod lena prehenderat, in manibus improbis relictò, foras sese proripuit, quamvis potiùs calumniam, quam jacturam castitatis subiturus. Irritata juvenis verècundiam Venus, tantum exarsit odio, quantum priùs flagrarat amore: nimirum aut amat, aut odit mulier, nihil est tertium. Et sævissima tunc est, cum stimulos odio pudor admovet. Primò apud domesticos innocentem infamiã onerare; deinde ad maritum cum pallio accurrere, cum lacrimis & questibus famulum in crimen intentatæ turpitudinis vocare, in testimonium defensæ integritatis amiculum, violento pudoris aggressori ereptum, ostendere. Credidit inconsulta temeritas mulieri; reo decem ipsis annis, exploratæ probitatis argumentis suffulto, locus purgandi non datur. Innocens in carcerem & vincula abripitur, fiducia bonæ causæ, etiam in illa fortuna, animum sui securum comitante.



VATICINIA JOSEPHI
IN CARCERE Genes. 40. Anuo Mundi
2317. ante Christum 1736.

Tenuit igitur custodia vincitum, si teneri vincirique potuit mens conscia recti; aut deprimi calumniâ, quem perpetuus Numinis favor erexit; Gratiam, quam apud Putipharem meritis suis inierat, captivo quoque virtus apud carceris Præfectum conciliavit. Fortè in eodem carcere attinebantur duo, de Pharaonis palatinorum numero, quorum alter pincernis, alter pistoribus præfectus. Utrique aliquanto post tempore, eadem nocte, objectum fuit somnium, cum officijs, quæ gesserant, tum rerum eventui congruens. Utrumque species oblata tristem & futurorum expectatione suspensum tenebant; nec libertas dabatur conjectores pro gentis illius superstitione consulendi. Obtulit operam Josephus, spe fretus, DEUM, arcanorum omnium cognitorem, illa visionum abdita sibi referaturum. Somnium pincernæ erat objecta vitis cum tribus palmitibus, è quibus gemmæ primum erumpebant, tum paullatim dilatata frondescere, fructus minutos emittere, & hi florentes grandescere, adque maturitatem perducì, à pocillatore in calicem Pharaonis exprimi, regique porrigi videbantur in potum. Explicavit visum Josephus, & *tres vitis Propagines* totidem dierum intervallum interpretatus, prædixit, hominem elapsò triduo, muneris suo restituendum. Ex ea conjectatione spem

melioris fortunæ etiam Pistor concipit, quidquod
 somniasset, exponit; visa nimirum tria caniftra vi-
 minea, capiti suo imposita, in quorum medio & imo
 panes inerant candidi, è polline confecti; in supre-
 mo varij servabantur cibi, arte pistoria confieri soli-
 ti, quos advolantes depascerent aves. Neque hinc
 vel fides interpreti defuit, vel veritas. Prænuntiat
 misero Vates omnia alia fata & effata expectanti, fo-
 re, ut intra trium dierum intervallum, suspensus de
 patibulo, cederet in escam corvis. Nec aliter,
 quam vaticinatus est, utrique evenit. Inter hæc
 qui ad regios stabat cyathos, gratiæ, unde exciderat,
 redditus, & conjectoris oblitus sui, & datæ fidei,
 quâ receperat, se apud regem libertatem captivo im-
 petraturum, in causa fuit, quare Josephus bienniô
 insuper hæreret in vinculis, DEO famuli sui tole-
 rantiam exercente, & ad majora reservante. Inter
 illos, quos per somnium viderat, manipulos, spi-
 cam diceres, etiam Josephum fuisse, tantò honorum
 fertiliorem, quantò ad terram inclinatiorem.

IV.

JOSEPHUS SIBI RE-
 GIS PHARAONIS GRATIAM CONCILI-
 AT VATICINIJS. Gen. 41. A. M. 2319.
 ante Ch. 1734.

Libertatem, cujus spem explicatio somniorum,
 jam antè Josepho fecerat, Vates ferè divinus,
 à rege Pharaone hunc in modum, cum mag-
 no felicitatis incremento, reportavit. Videbatur
 F sibi

sibi rex per quietem stare juxta Nilum fluvium ; ex hoc cernebantur emergere septem boves pingues , in locis humentibus atque herbidis pascentes , remotius à fluminis alveo. Totidem aliæ indidem ascendebant , sed macie confectæ , inque ipsa amnis ripa tenue carpentes pabulum ; quæ tametsi strigosa & macilentæ , habitiores illas , & corpulentas devorare visæ sunt ; quò alludebatur ad fertilitatem & sterilitatem Ægypti. Nam in tenui Nili incremento , sterilefcebat apyptia terra , id quod significabant jumenta in ipsa ripa cibum quærentia ; secus pinguioribus accidebat bobus ; quippe quibus pabulum suppetebant remotiora pascua , & fluminis humore abundantia. Accessit ei somnio alterum , materia diversum , significationis ejusdem. Videbantur septem uberes spicæ culmò attolli unò , juxta quas aliæ septem graciles , & uredine afflatæ surgerent , priores absumentes. Terruit ea res Pharaonem jam vigilem ; petit à divinatoribus conjecturam somnij ; aptam nullus dedit. Hic pincernarum præpositus , sui memor interpretis , Pharaoni auctor est , Juvenem ut divinandi peritum advocari jubere è carcere. Vocatur , ritùque attonsus Ægyptio , ac vestitus , in regis conspectum admittitur geminum ei somnium narrantis. Respondet expedite Josephus , ijs somniantis spectris indicari magnam tantam copiam , quàm inopiam pecoris ac frumenti , septem annos ubertatis , exceptum iri à totidem annis ingentis sterilitatis ; suadet unum aliquem virum sapientiâ & industriâ præditum , summa cum potestate frumentationi præficiendum ; frugumque in annorum vilitate coemptarum , maximum comheatum in re

gis apothecis & horreis condendum, ingruentis sub-
sidio famis. Placuit consilium tam regi, quam op-
timatibus; præficitur Josephus (quis enim alius ap-
tior?) universæ rei frumentariæ, & regijs decoratus
insignibus, annulo signatorio, purpura, torque, cur-
tu, totius prorex Ægypti proclamatur. Palmam
diceres Josephum, quæ pressa resurgit, tantò altior,
quantò pressior.

V.

JOSEPHI INFRAT-

RES MITIS AUSTERITAS. Gen. 42. 43.

A. M. 2327. ante Ch, 1726.

SEptenniò fertilitatis exactò, sterilitas ingens non
Ægyptum modò, sed totam Chananitidem, &
vicinas provincias afflixit; quare Jacobus,
compertò, frumenta apud Ægyptios esse venalia,
denos mitti filios, triticum comparaturos. Qui
delati *Memphin*, aut potius *Tanin*, non procul inde si-
tam, tunc urbem regiam; adductique ad proregem
(fratrem non agnitum; multum enim viginti anno-
rum spatìò & facies erat, & vox immutata) supplicii
demissione Principem venerantur, & rogant, anno-
na sibi coemendæ fiat copia. Josephus vultu ad
severitatem composito, paullatim eos interrogatio-
nibus adducit, genus ut omne suum, familiamque
declarent; inde occasione sumpta imperandi, ut
Beniaminus fratrum minimus ad se adducatur; im-
perijs terrores addit, hostiles exploratores appellat.
De quo crimine cum ipsi se venerabundi purgarent,

noménque parentis, & alia innocentiae suae argu-
 menta prætenderent, Josephus graviores fingens
 iras, jubet omnes custodiae tradi, quasi per otium in
 quaestionem dandos. Triduò post eductos è carce-
 re, domum remittit cum tritico, repositâ clam in
 ore saccorum frumentariorum pecunia, annonae
 coëmptae pretio, additis in viam cibarijs; *Simonem*
 retinet obsidem, non eximendum vinculis, donec
 natu minimus, primo quoque tempore sisteretur.
 Quae dum fiebant, collatis inter se capitibus fratres,
 regressi in memoriam veteris delicti, calamitatis
 causam referunt in crudelitatem, quâ fraternum in
 sanguinem olim sæviebant, intelligente (quod non
 rebantur) sermonem Josepho, & se cum lacrimis
 ultro fluentibus, avertente. Non potuit enim ani-
 mus tam nobilis diutius reprimere humanitatis fen-
 sum, & cum invita natura luctari generosus spiritus.

JOSEPHI AGNITIO, ET FRATRUM, AC APRENTIS LÆTITIA.

Gen. 44. 45. 46. A. M. 2328. ante Chri-
 stum. 1725. Jacobi obitus & Josephi A. M.
 2345. 2399. ante Ch. 1708. 1654.
 Gen. 47. Exod. 13.

Quibus rebus domum ad Jacobum renuntiâ-
 tis, revectaque, quam pro merce debebant,
 pecuniâ, duo comprimis optimi senis ani-
 mum afflictabant, alter filiorum (Simeon is erat)
 captivus; alter dimidium cordis sui, Benjaminus
 in exteras terras abducendus. Simul fame magis

acmagis ubique grassante, altera adornatur profectio; adijcitur alterum tantum emptionis pretium: adduntur munera Ægyptio Principi ferenda; ipse quoque Benjaminus non sine maximo mœstissimi parentis dolore, extorquetur itineris socius. Redeunt in Ægyptum; accipiuntur à Josepho perhumaniter: Benjaminus præsertim, cujus præsentia amoris lacrimas excussit ignoto fratri: adhibentur epulo: primæ lautitiæ Benjaminò dantur, iterumque dimittuntur cum faccis annonariis, & pecuniâ in ijs absconditâ, scyphoque argenteo in Benjaminì faccum impositò. Et ecce novus actus fabulæ! Dum abeunt, sibi suæque familiæ de humanitate Venditoris gratulantes, subito missis equitibus retrahuntur ex itinere: reposcitur non pretium tantum tritici faccis iterum frumentariis abditum, sed scyphus insuper argenteus, veluti furtò ablati. Quid multis? aperiuntur facci; adolescens (pro cujus salute vadem se parenti *Judas* obtulerat) reus ablati argenti tenetur, & in servitutem deposcitur. Omnium hîc consternatio, nec, quid obtenderent, quidve excusarent, satis habebant. Agnoscunt facinorum quondam patratorum Ultorem DEUM, humique prostrati, genua Principis amplectuntur, manu ferientes pectora, perque parentis miserandam canitiem pro Benjaminò deprecantes, causam imprimis perorante Juda, & ultro se fratris loco, servituti addicente, ac Benjaminò impactam sibi culpam decoris lacrimis diluente. Non potuit ultro se cohibere Josephus, affectibus & lacrimis inter se certantibus; jubet arbitros è loco facescere, solisque retentis fratribus, in flentis simul, & gestientis vo-

eem erumpens, dat sese agnoscendum, *Ego sum*, in-
 quiens, *Ioseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum*,
 Nolite pavere animis, DEUS DEUS est, qui vestrum
 in bonum in has me terras præmisit. Festinate &
 patri nuntiate, Josephum filium vivere; matura-
 ret igitur cum omni domo sua iter in Ægyptum;
 quinquennium superesse famis; & Pharaoni con-
 stitutum, non ultra frumentum extra regni limites
 dividere. Quibus dictis singulos suavissimè com-
 plexus, cum largo fletu in Benjamin collum ruit,
 lacrimas miscens lacrimis. Fama rei, primò per
 omnem Pharaonis aulam didita, deinde ad regem
 perlata, implevit omnes gaudijs. Mox jussu regis
 expediuntur currus, jumenta, munera, ad subve-
 ctionem conjugum, liberorum, omnisque suppel-
 lectilis. Venit Jacobus cum universa familia &
 facultatibus suis in Ægyptum; Josephus acceptò de
 patris adventu, nuntio, curru sublimis procedit ob-
 viam in terram *Gessenam*; redditur parens filio, filius
 parenti postliminiò vivus; itur in lacrimas, ample-
 xus, oscula; regio Gessena assignatur advenis; in
 in qua, rem curantes pastoritiam, adeò numero sunt
 & divitijs aucti, ut intra quindecim annos & ducentos,
 quo tempore Hebræi Ægyptum incoluerunt,
 & septuaginta capitibus, quæ cum Jacobo immigrá-
 runt, (superaditò Josephò cum duobus filijs) pos-
 teritas succreverit ad virorum millia sexcenta, non
 putatâ puerorum, mulierum, servitiorum multitu-
 dine. Adeò crevit semen, quod olim Abrahamo
 DEUS inter astra spectandum dedit. Genes. 22.

Cœterum centum triginta natus erat Jacobus,
 cum ex Chananitide profectionem in Ægyptum su-
 sce-

ſcepit. Ibi cùm annis decem & ſeptem commora-
 tus, magnas comparâſſet opes, in ſupremam ægri-
 tudinem incidit. Ad decumbentem inviſit *Joſephus*,
 tum temporis *Ægyptius* prorex, duobus cum filiis,
Ephraimo & *Manaſſe*. Senex recreatus filij, nepotum-
 que præſentiâ, erigit ſeſe in lectulo, demiffis in ter-
 ram pedibus, commodiùs admiſſurus in amplexus
 chariſſima capita. Adduxit utrumque *Joſephus* ad-
 parentis genua, auſpicatas avi preces excepturum.
Manaſſes (quippe primogenitus) ſtabat ad dextram
Jacobi, *Ephraimus* ad ſiniſtram, *Jacobus* cœleſtibus
 myſteriis edoctus, natu poſtერიorem antefert priori,
 decuſſatis brachijs, lævam imponit *Manaſſi*, dex-
 tram *Ephraimo*. Monitus de adoleſcentium ætate,
 manibus quoque paternis in alium ſitum à *Joſepho*
 translatis, reſpondet id à ſe factum, haud quaquam
 futurorum ignarò, nam *Manaſſæam* tribum ab *E-*
phraimitica longè ſuperatum iri tam ditioſis am-
 plitudine, quàm multitudine colonorum. Invo-
 cato deinde ſuper eos non *DEI* ſolùm, ſed *Angeli*
 quoque *Cuſtodis* ſui nomine, copioſam utrique
 poſteritatem eſt imprecatus. Ipsi autem *Joſepho*,
 in grati ſignum animi, terram *Sichimorum*, belli *Jure*
 ab *Amorrhæis* obtentam, dedit muneri. Advocatis
 ſub hæc, cæteris ad ſe filiis, monita ſalutis, &
 fauſtam precationem impertit; quæque ſeris poſt
 temporibus eſſent eventura, prædicat; *Judæ* præ-
 fertim, naſciturus ex ipſius progenie *Meſſie*, *Vaticini-*
 um edit.

Ad curas poſtea ſupremi converſus officij, petit à
 filijs, (id quod jam antè à *Joſepho*, religione jura-
 menti interpoſitâ promiſſum ei fuerat) ut cadaver

suum in Chananitidem revehant, & in agro *Ephronis Hethæi*, non procul urbe *Hebrone*, ubi Abrahamus & Isaacus in spelunca conditi, avito monumento inferant. Quibus dictis, sese in lectulo composuit, & sanctam animam placidè exhalavit, anno ætatis quadragesimo septimo supra centesimum. Claustrum ei oculos filiorum amantissimus Josephus largas funeri lacrimas cum osculis impendens. Eam pietatem fratres secuti reliqui. Corpus exanime, jussu Proregis, à pollinctoribus vario conditum est aromate. Luctus ad septuagesimum usque diem extractus. Quibus peractis Josephus cum fratribus paternum funus in Chananæam regionem, & desideratum conditorium, magna cum pompa deduxit. Ab eo tempore Iosephus provixit in Principatu quatuor & quinquaginta annos, universim octoginta; vitæ centum & decem. Ejus lipsana, uti fratres adjuraverat vivens, annis abhinc amplius trecentis, à Mose in Chananitidem sunt asportata. Lege hinc admirandam Divinæ Providentiæ seriem; innocentiam Josephi cole, & dabit tentatio profectum, ascensum dejectio, pugna Victoriam, mors ipsa Coronam.

NAR. XX

EXERCITATIO PATIENTIS JOBI IN JACTURA BONORUM FORTUNÆ lib.

Job. c. i. Anno. M. 2398. ante

Christum 1655.

Cer-